



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Die Entstehung der Andechser Wallfahrt**

**Brackmann, Albert**

**Berlin, 1929**

Anhang I. Der Traktat des Johannes Dominici de Eugubio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71011)

Legat Johannes de Eugubio seine erste Geschichte von Andechs, darauf berechnet, den Herzögen, die damals die Reliquien nach München geschafft hatten, die Verfügung über sie zu sichern, während die Eintragungen in dem Clm. 3005 umgekehrt dazu dienen sollten, die Geschichte der Reliquien mit dem längst ausgestorbenen Geschlechte der Grafen von Andechs in Verbindung zu bringen und sie für Andechs zu retten. Den Sieg behielten die Herzöge. Sie legten zwischen 1416 und 1427 (s. oben S. 18) die Hand auf Andechs und errichteten dort zuerst 1439 ein Kollegiatstift, 1451/53 ein Benediktinerkloster, das den Charakter eines herzoglichen Familienklosters erhielt. Wie in dem Falle von Wilsnack sind also auch im Falle von Andechs religiöse und weltliche Motive wirksam gewesen. Manche Namen, die mit seiner Geschichte verknüpft sind, wie die des Herzogs Albrecht III. und des Kardinals Nicolaus von Cues, zeugen für die religiösen Motive. Aber es läßt sich nicht verkennen, daß auch finanzielle Erwägungen beim Aufblühen von Andechs mit beteiligt gewesen sind. Die Geschichte der Translation der Reliquien nach München und das Münchener Jubeljahr von 1392 zeigen, daß Nicolaus von Cues nicht so unrecht hatte, wenn er von sacerdotibus sprach, die eine Verehrung der blutenden Hostien »ob pecuniarum quaestum« gestatteten. Nicht bloß die sacerdotibus — auch die Fürsten, die solche Heiltümer in ihren Landen besaßen, wußten die Bedeutung der aus ihnen fließenden Einnahmen zu schätzen, und es darf nicht unerwähnt bleiben, daß auch die Kurie die Heiltümer nicht nur vom religiösen Standpunkt aus wertete. Dafür liefert die Auseinandersetzung Bonifaz' IX. mit der Stadt München im Jahre 1393 den bündigen Beweis. Von diesem Gesichtspunkte aus gesehen, bildet die Entstehung der Andechser Wallfahrt zugleich ein Kapitel aus der Geschichte des werdenden territorialen Fürstentums in Deutschland und seiner Auseinandersetzung mit der Kurie. Dieses Faktum feststellen, heißt keineswegs die religiöse Bedeutung der Heiltümer für die Geschichte Bayerns und Süddeutschlands verkennen. Sie haben eine lange und ehrwürdige Geschichte hinter sich und werden sie vermutlich auch auf Jahre hinaus behalten.

#### Anhang I.

##### Der Traktat des Johannes Dominici de Eugubio.

Über die Bedeutung des Traktates habe ich oben gesprochen und dabei gezeigt, daß er in die Zeit zwischen 1389 und 1392 (wahrscheinlich 1389) anzusetzen ist. Die Ausgabe gründet sich auf die beiden ältesten uns erhaltenen Handschriften in Cod. Vindob. 2676 aus dem Jahre 1457 (V) und die Handschrift des Hauptstaatsarchivs in München Andechs Lit. 1 aus dem Jahre 1472 (E; diesen in Germ. Pontif. II 1 S. 62 gewählten Buchstaben behalte ich hier bei). Über beide Handschriften ist oben gehandelt (vgl. S. 15 ff. und S. 17 f.). — Der Traktat ist bereits zitiert in der Handschrift Cgm. 2928 aus den Jahren 1429—1434; in der späteren Literatur erscheint er erwähnt in der Bibliotheca hagiographica latina I 630 nr. 4248 (aus Quetif et Eckard Scr. Ord. Praed. I 704 und Lambecius Comment. de bibl. Vindobon. II 922 f., ed. Kollarus II 806 f.) und von P. BAUERREISS in Studien- und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktiner-Ordens und seiner Zweige Bd. 44 (1926) S. 75 f. (Den alten Druck, von dem hier die Rede ist, haben wir nicht gefunden.)

Incipit<sup>1</sup> epistola et tractatus magistri Johannis de Eugubio ord. Praedicatorum, sacrae theologiae professoris etc. Ad principes Bavariae de origine et veritate sacramenti mirabilis in monte Andezz inter alias reliquias<sup>2</sup> quiescentis.

Serenissimis et illustrissimis principibus et domnis, domnis Stephano Friderico et Johanni germanis, comitibus dignissimis palatinis<sup>3</sup> clarissimisque ducibus Bavariae domus scilicet

<sup>1</sup> om. E.

<sup>2</sup> sacras add. E.

<sup>3</sup> Reni add. E.



semper nobilis<sup>1</sup> inclitae et illustris, in qua ab antiquis saeculis laudum celsarum preconia et imperialis dignitas maiestatis nobilitate atque clarissimis moribus praefulsere, pauperculus Johannes Dominici de Eugubio, Crucis sanctissimae praedicator, nuncius apostolicus, sacrae theologiae humilis professor de ordine Praedicatorum, vestris celsitudinibus convenientissimam reverentiam debitam et obedientiam promptissimam et honorem.

PRAEFATIO.

Omnipotentis atque permanentis Dei mistica mirabilia sacra olim sacris doctoribus atque sanctissimis pontificibus ostensa diuinitus, nunc vestris inclitis pietatibus non casu ut ignorantibus affirmant, sed secundum certum et secretum ordinem sapientiae suae caelestis invexit et porrexit benignitas, ut in hoc mirifico atque divino munere adesse vobis divinam providentiam gaudeatis, quatenus in eam<sup>2</sup> tantummodo confidentes nullas naufragantis saeculi insidias aliquantulum timeatis, sed securi atque gaudentes decurratis semitam verae<sup>3</sup> iustitiae illo praestante, qui se vobis in suis mysteriis certissimis atque veris spontaneus obtulit in salutem. Quo auctore libellum de ipsorum mirabilium veritate composui ad ipsius Dei manifestantis honorem et vestrarum inclitarum celsitudinum claritatem, quam omnipotens adaugeat nunc et in futuris saeculis ut optatis feliciter ac longaeve.

INCIPIIT TRACTATUS. QUOMODO DEUS AD ELECTORUM SUORUM CONSOLACIONEM SINGULARI QUODAMMODO SE IN EUKARISTIAE SACRAMENTO OSTENDIT.

Deifera largitas conditoris ita sementibus fidelium libenter infundit, ut deliciis se affirmet affluere, cum caelum continens atque claudens cum filiis hominum ceperit habitare. Sic figuralis in papillionibus archa in deserto cum patribus ambulavit. Sic veritas ipsa prima, unigenitus scilicet Dei patris factus<sup>4</sup> homo inter homines conversatus moriens nostrae humanitatis debitum solvit se ipsum hominem pro hominibus offerens Deo patri. Et ne humanitas assumpta, quam de morte crucis, quam de sepulchro retraxerat, quam super sidera videntibus discipulis elevarat et ad dexteram locaverat summi patris, ab oculis se hominum totaliter separaret, sui corporis et sanguinis instituit sacramentum, quatenus in quotidiana celebratione<sup>5</sup> solenni omni die cum hominibus conversaretur et esset. Verum ut per modum cuiusdam inexhausti vigoris cum quibusdam electis atque rectis corde in sacramento altaris iugiter atque quodammodo visibiliter permaneret, mirabiliori miraculo et quadam benivolentia cariori ultra modum consuetum spiritus sancti consilio quibusdam patentibus signis in praedicto sacramento patenter et evidenter se permanere decrevit<sup>6</sup>, dum scilicet suis sacris pontificibus celebrantibus non solum ipsorum cordibus insueta ceteris lumina, sed etiam in sacramento nova signa suae permanentis praesentiae demonstravit non sine signis et miraculis gloriosis, quibus certe non solum suam electam ecclesiam, sed praecipua quadam gratia caritatis illustrem domum Bavariae regnantibus summis et optimis imperatoribus atque ducibus dictae domus summis honorum titulis illustravit. Quae omnia ut Christi fideles eo avidius venerentur, quo clarius gestorum viderint veritatem, referam breviter, quae reperi in Monaco, quae sine fallo sunt mirabiliora omnibus mirabilibus, quae in christianis terminis ostenduntur.

DE FACTA APPARICIONE SINGULARITER ADMIRABILI BEATO GREGORIO PPAE IN MISTERIO MISSAE ET HOSTIJS DUABUS PER EUM CONSECRATIS.

Sicuti acta docent et Romanorum digesta pontificum, dum Romanam Petri sedem sanctus ac felix felicissime regeret praecclarissimus ille magnus vita et exemplis, miraculis et doctrina Gregorius, Elvira regina Hispaniae magno cum desiderio Romam perrexit, ut

<sup>1</sup> et add. E.    <sup>2</sup> eum E. V.    <sup>3</sup> vie E    <sup>4</sup> umgestellt E.    <sup>5</sup> celebritate V.    <sup>6</sup> decernit V.



scilicet sanctum videret Gregorium et ut eiusdem sancti pontificis oracionibus fulciretur. Petivit ergo humiliter, ut sanctus pontifex pro ipsius salute missam in capella sanctae Crucis in Jherusalem ipsa regina praesente et desiderante communionem solempniter celebraret. Annuit pontifex devotae precibus mulieris et die statuta praesente regina praedictam capellam missam celebraturus accessit. Cumque missarum solemnitas summa cum<sup>1</sup> devocione percurreret, cum intrasset canonem sacrum menti sanctae<sup>2</sup> pontificis divini splendoris lumen infunditur, panduntur archana pontifici et veneranda passionis insignia devotissimae animae ac Deum scientis clarissime ostenduntur. Inter haec regina vehementem dubitationem patitur cepitque pressius cogitare, an in sacramento altaris verum esset corpus dominicum, sicut sancta confirmat ecclesia et sicut sacer pontifex eidem reginae in ipsius futura communionem promiserat. Nec puto hanc dyaboli temptacionem sanctum Gregorium tunc cum Deo vicinius commorantem latere aliquantulum<sup>3</sup> potuisse. Unde orante pontifice mulier respiravit rogavitque Deum, ut aliquo signo ab ipsius mente illam dyaboli temptacionem evelleret. Quod et factum est. Nam cum sanctus papa Gregorius in altari corpus dominicum elevarer, agente Deo aperti sunt oculi mulieris et vidit sacramentum in crucifixum totaliter transformatum. Sicque Dei munere certificata regina dum sacram communionem iam devotissima expectaret, summus pontifex eidem parvam hostiam, ut moris est, obtulit consecratam. In quam dum devota regina tota devocione prospiceret, iterum a Deo illuminata vidit clare sibi porrectum sacramentum in manu pontificis in formam digiti transmutatum. Quae cum vehementer stupeficeret et admiraretur vidente et intelligente pontifice, sacrum retenta figura digiti ad pristinae formae rediit qualitatem fuitque revelatum pontifici, quod ambas hostias fideliter conservaret, quoniam in hijs in periculis esset remedium et gaudium et remissio peccatorum. Quae omnia postquam regina devotissima perduxit in publicum, sanctus pater omnia supradicta coram cardinalibus recitavit et sic patet, quod duae hostiae pariter consecratae per sanctum<sup>4</sup> Gregorium fuerunt in Roma inter reliquias papae magna cum devocione reconditae.

DE PRIMA TRANSLATIONE SACRAMENTI ADMIRABILIS BEATI GREGORII PPAE DE ROMA AD GERMANIAM.

At vero vices temporum succedentes (!) quondam Hainrici Bavari piissimi atque sanctissimi imperatoris temporibus, cuius sanctitate atque providencia armorumque industria singulari res Romana atque catholica summa cum quiete vigeat, immisit omnipotens secreto consilio suo in terras<sup>5</sup> Bavariae pestiferam luem, quae in corporibus hominum serpens<sup>6</sup> plerosque deducebat ad mortem, nunc istum nunc illum in brevi consumens vastitatem Bavaris atque solitudinem minabatur. Cerneret forciores atque iuniores clade deficere et vacuas domos hospitibus. Continuus metus imminentis mortis mortales omnes aequaliter occupat, nec fere quidem superstites erant, quoniam importuna pestis vivencia omnia aequaliter devorabat. Hijs malis infestus hostis adicitur et ferro et incendijs terra nobilis occupata. Valida fames et omnium victualium carencia regionem omnem totaliter pervagabant ita, ut homines ignorarent, quam cladem potius pertimescere debuissent. Haec mala in terris suis aspiciens imperator aequissimus cogitavit esse iustissimum, ut ecclesia Romana imperium ipsius suis precibus atque meritis adiuvaret, quam ipse diu foverat auxilijs atque praesidijs et legibus oportunis. Maxime autem imperatoris mentem haec sancta cogitacio confortabat, quia noverat vir sanctus virum sanctissimum scilicet Leonem papam sedem apostolicam sanctissime gubernare, cum quo unitus erat strictissime in vinculis caritatis. Missis

<sup>1</sup> umgestellt V.    <sup>2</sup> sancti E.    <sup>3</sup> om. E.    <sup>4</sup> beatum E.    <sup>5</sup> terris V.    <sup>6</sup> serpiens V.



itaque nunciis plagam, quam iudicio Dei<sup>1</sup> in suis subditis tollerabat praedicto Romano pontifici oraciones eius humiliter postulans intimavit. Suspiravit antistes ab imis praecordiis et tanto imperatori compaciens inspiratus a Deo concepit remedium salutare nec moras trahens diucius, postquam in suis crebris oracionibus voluntatem Dei omnipotentis agnovit, ut ipse pontifex ambasiator actor esset et testis, assumptis duabus hostiis supradictis, quas penes se conditas<sup>2</sup> mira cum devocione servabat ad praedictum imperatorem quantocius festinavit. Et ab eodem honorifice valde receptus Leo papa eidem devotissimo imperatori in remedium tantae cladis tres obtulit hostias consecratas, duas scilicet quas sanctus Gregorius, et terciam quam ipse<sup>3</sup> pontifex Deo iubente consecraverat<sup>4</sup>. Quas cum devotissime suscepisset piissimus imperator et perambulasset cum praedictis sacramentis omnia loca, quae pestis invaserat, statim actore Deo cessavit mortalitas et recedentibus hostibus eciam copiam omnium rerum donavit altissimus ita, ut in temporum brevi omnia in optima tranquillitate redirent. Remanserunt itaque praedicta sacramenta penes fidelissimum imperatorem ibidem decedente pontifice, qui semper cum maxima devocione conservans, dum migraturus esset ad Dominum, in Babenbergensi ecclesia, quam ipse christianissimus imperator fundaverat, sollemniter collocavit.

DE TRANSLACIONE PRAEDICTARUM TRIUM HOSTIARUM AD MONTEM ANDEZZ.

Anno autem ab incarnatione Domini millesimo centesimo secundo Chunradi piissimi imperatoris<sup>5</sup> temporibus dominus Otto, illustris filius illustrissimi comitis de Andezz, episcopus Babenbergensis, cum territorium praedicti comitis fame ac peste et guerris undique premeretur immensaeque grandines universos agros penitus devastarent et omnia pecora peste et tempestatibus laesa passim redigerentur in pulverem<sup>6</sup>, ad petitionem dicti comitis patris sui ac eciam precibus germani sui scilicet Perchtoldi Istriae marchionis ad removendam praedictam pestiferam cladem supradicta sacramenta Andezz cum solemnitate transmisit, scribens per epistolam, quorum sanctorum summorum pontificum sacramenta sancta fuissent et quam ob causam sanctus Leo papa sancto imperatori Heinricho de Roma portasset, suadens, quod digne reciperent sacramenta sanctissima, quae divinitus collata mortalibus pestes atque clades undique removerent. Susceperunt ergo inclitus comes et populi cum devocione ferventissima divinissima dona illa circumferentes per loca, ubi mortales pestis invaserat. Et post plenam liberationem a cladibus praelibatis praedicta divina sacramenta apud praedictum montem summa cum veneracione recondunt.

QUALITER COMES PERCHTOLDUS DE ANDEZZ PERACTA PEREGRINATIONE SAECULUM DERELINQUENS ORDINEM SANCTI BENEDICTI INTRAVIT ET SACRAMENTUM IN MONTE RELIQUIT<sup>7</sup>.

Cum ergo operante Domino fama sacramentorum atque miraculorum divulgaretur in populis, Perchtoldus comes devotissimus et illustris causa devocionis et voti Jerosolimam corporaliter visitavit, ut scilicet Christi vestigia christianissimus sequeretur, et postquam loca sancta debita cum devocione lustravit, assumptis inde sanctissimis reliquiis ad montem Andezz rediens divitiis, voluptatibus, potestatibus renunciavit et saeculo et monasterium ordinis sancti Benedicti in Sewn ingressus professionem, vitam et habitum monachorum usque ad mortem infatigabiliter atque laudabiliter custodivit. Ubi et<sup>8</sup> felix et nobilis ipse tumulatus honorifice requiescit. Sed et praedictarum sanctarum reliquiarum cenobium, quod tunc in monte Andechs aedificabatur, aptissimum fecit heredem.

<sup>1</sup> plagas quas Dei iudicio E.    <sup>2</sup> om. E.    <sup>3</sup> sanctus add. E.    <sup>4</sup> sacraverat E.    <sup>5</sup> regis piissimi E.  
<sup>6</sup> in pulverem om. E.    <sup>7</sup> et — reliquit om. E.    <sup>8</sup> eciam E.



## QUALITER RELIQUIAE SACRAE PLURIBUS ANNIS FUERUNT OCCULTATAE.

Aliquantis exposit temporibus transactis, etiam defuncto illustri comite ultimo in Andex Heinrico, qui et ipsum castrum montis, ne a comitibus potentibus de Scheyren post eius obitum occuparetur, solo tenus destrui mandavit, siquidem locum hunc avide pro sua<sup>1</sup> amenitate possidere siciebant, in loco eodem et monasterio dudum ibidem instituto ob devocionem et custodiam reliquiarum conversi monachi solummodo remanserunt. Qui timentes, ne sacramenta supradicta simul cum aliis reliquiis ab hostibus raperentur, illa consignantes et conscribentes cedulis in vasculo plumbeo in quadam techa sub quodam altari secretissime absconderunt. Et in modico tempore caris Deo reddentes animas contigit ordinante Deo, ut praedicta sacramenta simul cum sanctis reliquiis ducentis annis et ultra incognita mortalibus omnibus permanerent.

## DE NOVISSIMA RELIQUIARUM SACRARUM INVENCIONE.

Anno autem Domini millesimo trecentesimo octogesimo octavo feria tertia post octavas Penthecostes non sine mirandis prodigiis et caelestibus quam plurimis indiciis et revelationibus antelatis cum antedictis cedulis atque oculis illaesa et illibata simul cum aliis reliquiis divinitus sunt ostensa atque cum devocione permaxima ducum illustrium et populorum multis crebrescentibus signis inclitum Monacum, ubi serenissimi principes atque celsi duces Bavariae<sup>2</sup> regnant, circa festum sancti Nicolai sequenti anno fuerunt sollemniter deportata et ab ipsis praestantissimis ducibus et universo populo miro cum favore suscepta et in capella serenissimorum ducum pompa et honore celebri collocata.

## QUALITER DIVERSIS ET VARIIS SACRAE RELIQUIAE MIRACULIS CLARUERUNT.

Quid<sup>3</sup> de mirabilibus loquor, cum haec divinissima sacramenta omne quodvis miraculum, omne quodvis<sup>4</sup> mirabile excedant quodammodo in infinitum? Quid de miraculis dicam, quae omnia, si colligantur in unum, vim sacramentorum caelestium subdita expavescent? At si Deo actore de pulveribus sanctorum et ipsorum vestibus tot miracula prodeunt, quid de ipso sanctorum sancto et domino dominorum Deo et homine Iesu Christo dicere libet hominibus ydiotis, cuius certissime actiones omnes divine, omnes miraculose procul dubio probantur? Aut quid digne proferam de virtute horum sacramentorum caelestium, quae tam in brevi temporum tot mortuos diversis casibus vivis pro eius voventibus sive invocantibus suscitaverunt, fugaverunt daemones et oppressos diversis languoribus sanitati pristinae reddiderunt? Quae tanta numero ac talia sunt, ut longe sit utilius silencio praeterire, quam minus scribere et non taliter texere sicut decet.

INVECTIVA<sup>5</sup> CONTRA INCREDULOS DE SACRAMENTORUM VERITATE.

Ceterum quid de illis dicturi sumus, qui corde nimium obdurato, quae scribuntur et ostenduntur, credere parvipendunt? Hiis iuxta sententiam apostoli facilime respondetur, tum quia ipsorum incredulitas sacramentorum non evacuat fidem, tum quia non omnium est fides, tum eciam quia tantum illi credunt, qui sunt praeordinati ad vitam eternam. Persuadendum est ergo eis, ut cogitantes dura et impenitencia corda thesaurisent<sup>6</sup> sibi iram in die irae magna voce cordis Christum dominum interpellent orantes et dicentes: Domine adauge nobis fidem. Hii autem, qui pie credunt, non suis meritis aut accionibus tribuant, quam divina sapientia simplicium corda perlustrans donat piorum mentibus veritatis et fidei secretissima sed certissima documenta, quatenus credentes vitam habeant in nomine ipsius Dei et domini nostri Iesu Christi cum patre et spiritu sancto viventis et regnantis in saecula saeculorum Amen.

<sup>1</sup> sui EV. <sup>2</sup> om. E. <sup>3</sup> quae V. <sup>4</sup> miraculum — quodvis om. E. <sup>5</sup> Invectura E. <sup>6</sup> thesaurisant E.